

4441 7

75

# Declaratio

*Illusterrimorum & Excellentissimorum*

*Dominorum*

Sacræ Reg. M̄tis. Regniq;

**SVECIÆ**

ad Tractatus Pacis in Prussia

*Legatorum Plenipotentiariorum,*

pro Pace & libertate omnium ab

Ecclesia Catholico-Romana de Religione in Po-

lonia Dissidentium in puncto Amnestiæ

secundum avitas leges Regni cautâ:

*ex ipso Originali publici juris facta*

*Anno M. DC. LX.*

---

STETINI, TYPIS JOH. VAL. RHETII.

## Lectori Salutem.

En tibi, benebole Lector, Dominorum Ser:<sup>mi</sup>  
Regis Regniq; Sveciæ ad Traëtatus Pacis in Prussia nuper  
conclusæ Legatorum Plenipotentiariorum Declarationem,  
qvam ibidem fecerunt: Non, qvod vel Dissidentium ab Eccle-  
sia Pontificia causæ æquitati & antiquis Eorum Juribus, vel  
cautioni Generalis Amnestiæ diffiderent; sed, qvod jam tum  
fama evulgasset, nonnullos Religioni Romano-Catholicæ in-  
tempestivo zelo addiætos præsumere, articulum de Amnestia  
contra genuinum Ejus sensum explicare, & velle executioni  
dare leges tempore belli latas, qvæ reassumunt Statutum Ja-  
gellonis Confœderationibus Regni antiquatum: Qvippe  
qvod Omnibus ab Ecclesia Pontificia Dissidentibus pernicio-  
sum est, & Jurisdictionem Cleri atq; Inquisitionem Hispani-  
cam introducit. Igitur, cum prætacti Dnn. Legati Svecici  
asseverarint, nunquam sibi in mentem venisse, ut pro LEGI-  
BUS REGNI, ac pro Pace & Libertate Dissidentium, Leges  
pendente bello latæ contra Pacem & Libertatem Dissidenti-  
um intelligerentur; Declaratione hac testari voluerunt, Parti  
Sveticæ Sensum Amnestiæ præpostorum affricari, & alteram  
Transigentium Partem minus rectè sibi soli arrogare Amne-  
stiæ Interpretationem, qvæ leges Regni Poloniæ, nec non  
Juramenta & Diplomata Regum, ipsamq; adeò Amnestiæ na-  
turam convelleret. Vale, Lector benebole, & qui Evangelici-  
am & Orthodoxam Religionem profiteris, vide, ut te, post  
tot tristitia violatæ Libertatis Conscientiarum experimenta,  
saltē aliena pericula & damna faciant cautum.

— XV. ion. d. mæthi

4412

# Sacræ Regiæ Majestatis Regniq;

Sveciæ ad Pacificationem in Borussia Legati  
Commissarii Plenipotentiarii.

**N**otum, testatumq; facimus,  
quod, licet à Religione Romano-Catholica in  
Regno Poloniæ, Magnoq; Ducatu Lithuaniae disiden-  
tes, in moderno Instrumento Pacis Sveco-Polonicæ,  
Articulo de Amnestia II<sup>do</sup>, per expressum non sint no-  
minati, dicta tamen Amnestia, tam generalis, quam  
specialis, etiam illos concernat, eaq; ipsi totâ frui de-  
beant. Neq; ve enim Legationi Svedicæ mens fuit, ul-  
las Leges antiquas & antiquatas, contra hæreticos,  
sic dictos, sancitas, vel etiam novas durante hoc bello  
(quo merito præsumi debet ac potest, nihil esse inno-  
vandum) latae hoc tractatu confirmandi, sed po-  
tiùs, ut hac Pacificatione cuncta in eum statum, qui  
ante hoc bellum fuit, reducantur, nec cuiquam  
quod partes S<sup>e</sup>. R<sup>e</sup>. M<sup>is</sup>. Sveciæ secutus fuerit, sub  
qvocunq; prætextu noxe & fraudi sit, efficiendi.  
Ac proinde declaramus ac testamur, verba in §. 2.  
præfati articuli: Secundum leges Regni: ex parte  
Nostra non aliam vel antehac admisisse, vel etiam-

num admittere interpretationem posse, quam ut  
unusquisque sine exceptione, & cujuscunque Sta-  
tus, conditionis ac Religionis sit, gaudere debeat ju-  
ribus, privilegiis & consuetudinibus, tam in Eccle-  
siasticis, quam profanis, secundum leges regni, sicut  
ante hoc bellum observatum fuit. In cuius rei si-  
dem praesens Attestatum manibus nostris subscripsi-  
mus, & Sigillo Legationis Majori roborari fecimus.  
Sobothi die <sup>xxi.</sup> Maii Anno 1660.

Magnus Gabriel de la Gardie.  
Benedictus Oxenstierna.  
Christoph Carolus Schlippenbach.  
A. Gyldenclau.



Godofredus von Schröder/  
Legationis Secretarius.